



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 9. Meritò Deum vel dare, vel negare terræ fructus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

§ IX.

*Meritò Deum vel dare, vel negare  
terra fructus.*

1. Disce hinc, ô querule, qui oracula  
ex coquina, non cortina fundis; disce di-  
gito impietatem compescere labiorum,  
& de terra non quiritari, Tu canem inuti-  
lem non alis, & te seruū inutilem alat De-  
us? qui non es dignus, quem terra susti-  
neat, terra vt tibi delicias faciat, cupis?  
Ingrato beneficium secundum negandum  
existimas; & à tuo Creatore beneficium  
exigis centies repeti, postquam centies ei,  
pro bono, malum reposuisti? Audire vis,  
quid dicat? *Filios enutriui, & exaltavi, ipsi  
autem spreuerunt me.* Quo eum sensu esse  
debere existimas? *Dic mihi,* ait S. Ambro-  
sius, *num si aliquid de tuo cuicunq, largiris,  
expectas, vt tibi gratias agat, vt benedicat  
domum, de qua ei humanitas sit tributa? Qui  
si forte gratias non agit, quemadmodum a te  
denotatur ingratus? Ita ergo & a nobis expe-  
ctat, qui nos pascit, Deus, vt pro prestitis ab  
eo escis illi gratias referamus, & saturi, donis  
ipsius laudes ei dicamus. Ceterum si accipientes  
diuina munera taciti & immemores fuerimus,  
tanquam ingrati & indigni eorum submini-  
stratio-*

Isa. 1. 2.

S. Ambrosius.  
serm. 42.

Matth. 6.  
31.

*stratione fraudabimur. Vide ergo, mi homo, qui pro crastino sollicitus dicis: Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quomodo operiemur? vide, quid sit agendum, & a magno Magistro disce modum hæc acquirendi: Querite, ait, primum regnum Dei, & justitiam eius; & hæc omnia adicientur vobis. Si regnum, si religionem, si Ecclesiã, si cultum & honorem Dei; si non fucam illam mundi, sed veram Dei justitiam quæretis, ubique esset terra benedicta; scit enim Pater vester cælestis, vos his indigere. Cur illis vineas vitibus, vites vuis impleat, qui se vino ita implent, vt dubites, homines sint, an ambulancia, aut titubancia hominum simulachra? qui vino abutuntur ad ebrietatem, ad insaniã, ad rixas & pugnas, ad cædes & lanienas, more Thracum? qui porricant, vt ructent, vt blasphemant, vt incestu se inquinant? vt Sodomam & Gomorrhã secum circumportent? Nam ecce hæc fuit iniquitas Sodome, superbia, sativitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius; & manum egeno, & pauperi non porrigebant. Quis medicus, non subducit ægro nocitura? Desperat de eo, cui concedit, quod perimit. Si ergo Deus suos*

libe-

liberaliter pascit, paternè facit; si parcius tractat inimicos, justè facit; iratissimus est, si finit impios omnium rerum copia abundare. Quis fertilitate agrorum dignum arbitretur eum, qui plaustra manipulis onerat, & sequentem, post messorum, Ruth spicas legere prohibet, quibus sinum impleat? Meretúrne ille granaria frumenti aceruis referta habere, qui sedenti ante fores Lazaro panis micæ negat? Aliter boni utuntur bonis. Ut dent accipiunt, non ut habeant. Ita bonam glebam imitantur.

Quippe, ut S. Ambrosius ait: *Humanitatis exempla ipsa terra suggerit. spontaneos fructus ministrat, quos non seneris: multiplicatū quoque reddit, quod acceperit.* Iubet hoc terræ exemplum sequi ipse Christus, cum ait: *Date, & dabitur vobis.* Atque hoc est primum, quod S. Terræ fertilitas docet.

S. Ambrosius. li. 1. Offic. c. 31

Luc. 6. 38.

§. X.

*Terra sancta & benedicta potissimum à sanguine olim Christi.*

2. Disce, terrenam illam iudææ vbertatem, quæ partim à loci genio, partim etiã à singulari Numinis providentia illi obuenit, longè maioris figuram fuisse benedictionis, à qua vere sancta fuit appellata. Dixit